

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0616

0614

0620

0610

0625

hoc fecit ad tollendum superstitiones, quae ortae fuerunt occasione illius aquae.

Quidam enim simplices sacerdotes non aestimabant se verum baptismum habere, nisi aliquid de aqua Jordanis apponenterent, vel putabant baptismum majoris sanctitatis et efficaciam esse cum illa aqua quam sine illa. Sed et mulieres superstitione nolebant parvulos suos baptizari, nisi baptismum, cui admixta esset aqua de Jordane, et etiamsi credebant aliam aquam sufficere, tamen illam, cui admixtum erat aliquid de aqua Jordanis, aestimabant sanctiorem. Quae omnia sunt erronea.

Insuper incantatores et incantatrices hac aqua singulariter utebantur, et hodie ea utuntur, quando possunt habere, ad suas superstitiones exercendas. Et ut illa tollerentur, prohibuit Papa ejus (**B**) transductionem. Si autem ideo navigatione impeditur, miraculum novum Deus operatur. Alii dicunt, quod aqua Jordanis, licet in suo fluxu sit aqua viva, tamen vasculo recepta moritur et putrescit. Et quia mare non potest sustinere mortuum et putredinem, ut dicunt, ideo impeditur navigatione. Sed hoc nihil est, quia vidi magna vasa, in quibus computruerant aquae, quae ductae fuerant per magna maris spatia, ut esset in navi dulcis aqua, licet foetida. Vidi etiam corpus hominis, recenter defuneti, deferri in navi ab insulis Cycladum usque ad Venetias, ut dicetur folio 165. Part. 2.

Alii aliam rationem assignant et dicunt, quod mare mortuum est mirabilibus qualitatibus infectum, et quia hujus maris aquae sunt aquis Jordanis commixtae in hoc loco, ideo mare magnum non potest eas sustinere propter contrarietatem, quam habent illa duo maria ad invicem. Sed nec hoc credo, quia de aqua Jordanis bibimus, et in ea nullam sensimus amaritudinem, aqua autem maris mortui est amarissima; ideo dicitur in scriptura mare salsissimum. Non ergo est commixtio unius ad alteram ibi. Alii verius dicunt et melius, quod superstitionem sit credere, quod aqua Jordanis habeat [vim] navigationem impedire, vel ventos aut aerem aut maris motum immutare. Tamen propter infidelitatem hominum christianorum Deo permittente ita fit. Et si aqua Jordanis in navi non esset, non fieret; non quidem propter ipsam aquam, sed propter

0605

0665

0565

0715

0515

1115

0115

Ende

Anfang

